

Zomenius, Parmenides, Melissus, Leucippus, Democritus, Plato &c. de causis & principiis rerum statuerint, enarrat, eorum quædam subinde approbans, alia verò ut à veritate aliena rejiciens.

III. Quanquam autem in exponendis Veterum istorum opinionibus multa callidè subdoleq; egisse Aristotelem, ne Magistro quidem Platoni parcere solitum, ii quoq; qui cœteroquin eum summoperè venerabantur, testati sint Viri Doctissimi, *Simplicius* puta in fine 1. de cœlo, *Eustratius* super 1. Eth. & ex his *D. Thomas* Lib. IV. de Regim. Princip. cap. IV. *Olympiodorus* item ac *Philoponus* apud *Gassend.* in *Epic.* pag. 1168. *Cabæus* Quæst. 1. t. 22. Lib. 1. Meteor. *Vossius* de Sect. Philos. cap. XVII. §. 6. *Hornius* Hist. Philos. Lib. III. cap. XV. propriis, & Lib. VII. cap. IX. *Joh. Casi* verbis, è speculo Moral. Quæst. lib. 1. c. 6. quibus addere Verulamium liceat, et paulò infensorem Aristoteli, cujus lepidum extat in hunc Philosophum Lib. III. de Augment. Scient. p. m. 88. dictorium, *Eum veteres, ut Ottomanni suos fratres quasi trucidasse suis scriptis, ut ipse solus regnaret:* ex hoc ipso tamen elucet, eum, quem unum sequeretur, Magistrum habuisse neminem, sed ex plurium Philosophorum scriptis elegisse τὴ ἀρεσκοντα, primumq;, ceu loquitur allegatus modò *Hornius, dispersa Philosophiæ membra in unum corpus & systema collegisse:* quod idem Clarissimus *Drejerus* in *Phil. Primæ Præf. ad Lect.* inter cumulatissimas hujus Philosophi laudes primo loco his verbis commemorat: *Philosophia unius hominis inventum non est, sed plurimorum per tot secula experientiâ nititur. Inter omnes verò qui aliorum experiëntiam & observationes comportârunt & literis mandârunt, excellit unus Aristoteles.* Quandoquidem autem ab Aristotelis ævo ad hæc nostra usq; tempora viginti circiter effluxere secula, ingeniorum præclarorum non minùs quàm superiorum ullum, feracissima, industriæ verò laude ac indefatigabili experimentandi naturæque arcana

scrui-